Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 33
Quelle:
Copyright:

ad *Isid. Hispal. Origg.* L. I. C. XX. audias, Φ et P est, literae initiales vocis φρονητεον; cum Signum hoc loca obscura ideoque bene perpendenda denotet. Codicem terminat nota illa Vocum hebr. et graec. per Alphabeti seriem interpretatio, et *Registrum super epistolas. et ewangelia que continentur in missis per circulum anni.* Margines illius locis parallelis, etiam ex originali textu, et versionibus graec. desumtis, notulis hermeneuticis, et PP. effatis, subductis item versuum rationibus consperfi Librarium aut Possessorem hominem adprime intelligentem et Verbi divini studiosum testantur. E *Lelongii Bibl. Sacra* abest.

XIX. VII B 18.

94 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 449. f. per duas columnas scriptus, librorum initiis deauratis depictisque continet item *Biblia sacra ex vulgata interpretatione*, et quidem ordine sequenti: *Pentateuchum* primo folio mutilum. *Josue. Judices. Ruth. Regum IV. Paralipomenon II. Esdrae I. Nehemiam. Esdrae II.* reipsa III. Librum *Thobiae. Judith. Esther. Job. Machabaeorum* II. itaque Libros historicos una serie. *Salomonis Parabolas. Ecclesiasten. Cantica. Ecclesiasticum* adnexa *Oratione Salomonis* compilata ex III. *Reg.* 8. et *Paralip.* II. 6. *Sapientiam Capp.* XX. diviso in duo C. XVIII. *Isaiam. Jeremiam* cum *Baruch. Ezechielem. Danielem.* XII. *Prophetas minores* hac clausula miniata: *Expliciunt prophete. et Incipiunt Libri ewangeliorum.*

Omisso itaque *Psalterio* a *fol.* 323. p. 2. orditur N. T. hac serie: IV. *Evangelia. Epistolae Pauli* XIV. *Canonicae Jacobi, Petri, Johannis, Judae. Job.* I. c. 5. testimonium sic legitur: *Sicut in celo tres sunt. pater. et uerbum. et spiritus. et tres unum sunt. Quoniam tres sunt qui dant testimonium in terra. sicut aqua et sanguis et spiritus. et hij tres unum sunt.* Sequuntur *Actus Apostolorum* et *Apocalypsis.* Omnes hae Partes aut *Hieronymi Prologis*, aut consuetis illis *Argumentis* sive *Summariis* instructae sunt. Codici a *fol.* 422. finem imponit exarata per tres columnas Nominum hebr. et graec. Interpretatio hoc rubro: *Interpretationes beati Jeronimi Presbiteri Secundum ordinem Alphabeti*, quibus Librarius ad calcem sic accinuit:

Cum legis hic lector genibus flexis ego scriptor
Supplex in christo te queso mei memor esto.
Quis fuerit scriptor si uis cognoscere lector.
Nyclaus dictus rogo te dic sit benedictus.

Cum in Evangelio *Job.* C. 1. pro *habitavit in nobis* legatur *habitabit*, ut in *Codicibus* et Impressis *Bohemice* versis hujus aevi, facile ad-